




Sammelband

M o d

21







Appendix vorgehender Unglaublicher Maniera, me-
lioris accommodationis gratia hucusque.

JANI CRUCIS BURGENSIS
THURINGI IC.

INSTITUTIONES JU-
RIS CIVILIS,

Novâ & hætenus inauditâ celeritate
intra III septimanas antehac absolutæ,

ET

In XXIV. disquisitionum capita distributa,

Demonstrantem, quomodò jus INSTITUTIO-
NUM, pro diversitate ingeniorum, vivâ voce, per III. vel IV.
septimanas, cum fructu doceri & absolvi
possit.

Adjecta est

Henrici Christophori, Schlichtegrullij J. U. D.
Cancellarij Mansfeldensium Com. & Scabinatus H. F. Dispu-
tatio extemporalis, V. dię studiorum scripta, &c



Impressæ sumptibus Joan-Caroli Unckelij Libra-
rij MœnoFrancofurtensis.

ANNO. M. DC. XXVIII.





DISQUISITIONUM CAP. I. DE PRINCIPIIS JURIS.



Iustitia est constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tri-
 buendi. 2. An definitio hæc sit de divina vel humana Iustitia? 3.
 An de particulari vel universali? 4. JURISPRUDENTIA
 est divinarum atque humanarum rerum notitia, justis atq;
 injustis scientia 5. Notitia, an sit ablativus, vel an sit duplex
 genus? 6. Juris præcepta sunt: Honestè vivere, alterum non lædere,
 suum cuique tribuere. 7. Anne plura sint vel pauciora? Jus dividitur in
 publicum & privatum. 9. Publicum est, quod ad statum rei Romanæ
 spectat. 10. Privatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet. 11. Et
 ius privatum, collectum est ex naturalibus præceptis, &c. 12. Sed quæri-
 tur, an etiam jus publicum collectum ex naturalibus præceptis. 13. Jus naturale
 est, quod natura omnia animalia docuit. Hinc descendit maris atque
 fœminæ conjunctio, hinc liberorum educatio & procreatio. 14. Hinc
 quaritur, an jus quoque competat brutis? 15. Jus gentium est, quod naturalis
 ratio inter omnes homines constituit. 16. Jus Civile est, quod quisq;
 populus ipse sibi constituit. 17. Ex iure gentium omnes pene contra-
 ctus introducti sunt, excepta stipulatione, literarum obligatione, emphy-
 teutico contractu & sponsalitia largitate. 18. Hinc dividitur ius in scri-
 ptum & non-scriptum. 19. Scriptum est, lex, plebiscitum, Senatus-
 consultum, principum placitum, magistratum edicta, responsa pruden-
 tum, 20. Lex est, quam populus Rom. constituebat. 21. Queritur
 hic, an scriptura sit de essentia legis? 22. Plebiscitum, quod plebs constitue-
 bat. 23. An & plebiscitum vocari solet lex? 24. Senatusconsultum est, quod
 senatus constituit. 25. Quodcunq; Imperator constituit, legem esse con-
 stat. 26. Responsa prudentum sunt opiniones & sententiæ eorū, qui-
 bus permissum erat de iure respondere. 27. Sine scripto, diuturni mo-
 res, consensu utentium comprobati, legem imitantur. 28. An consuetu-
 do in scripturam redacta, incipiat esse lex? 29. An civitas possit condere statuta?
 30. An statuta recipiant interpretationem à jure civili?

INSTITUTIONES JURIS CIVILIS.
CAP. II. DE PERSONIS.

1. Obiecta iuristria sunt, personæ, res & actiones. 2. Personæ autem liberæ sunt, aut servi. 3. *Quæritur, an servi sint personæ.* 4. Libertas est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, NISI SI quid vi aut iure prohibeatur. 5. *Annon etiam servitus possit ita definiti?* 6. Servitus est constitutio iurigentium, quâ quis domino alieno contra naturam subiicitur. 7. *An servi recte deriventur à servando?* 8. Ingenuus est, qui statim ut natus est, liber est. 9. *An ex geminis, unus liber alter servus nasci possit?* 10. Libertini sunt, qui ex iusta servitute manumissi sunt. 11. Manumissio est de manu datio. 12. Quæ res à iuregentium originem sumpsit. 13. Manumissio multis modis procedit, aut vindictâ (est virgula prætoris, quâ tangebatur servum; simile Einen Wehrschafft machen) aut inter amicos, aut per aliam quamlibet voluntatem. 14. Libertinorum status hodiè unus est. 15. Qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit. 16. Licet domino, qui solvendo non est, servum suum, cum libertate, heredem instituere. 17. Idem iuris est, sive cum sive sine libertate servus heris institutus sit. 18. Quædam personæ sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ. 19. Harum aliæ sunt in potestate parentum, aliæ in potestate dominorum. 20. Propter abusum potest quis privari re sua. Expediit n. Reipubl. ne quis re sua male utatur. 21. In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreavimus. 22. *Vtrum patria potestas sit iurigentium?* 23. *Vel, an sit propria civium Romanorum?* 24. *An exheredatus sit in patria potestate?* 25. *An banditus?* 26. *An filius, qui nuptias contraxerit, sit sub patria pot?* 27. *An qui promotus est in magistratum?* 28. *An qui promotus est in Doctorem?* 29. *An filius adoptivus?* 30. *Spurius autem non erit sub patria potestat.*

CAP. III. DE NUPTIIS.

1. Nuptiæ autem sive matrimonium EST viri ac mulieris coniunctio, individuum vitæ consuetudinem continens, &c.

CAP. IV. DE TUTELIS.

1. Tutela est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui per ætatem se ipse defendere nequit, iure civili data ac permiffa. 2. *Verba illa, in capite libero, an ad tutorem vel pupillum sint referenda?* 3. *Ad verba illa, iure ci. vili data ac permiffa, annon etiam iure naturali?* 4. *Ad verba, vis ac potestas, annon jus ac potestas?* 5. Tutores sunt, qui eam vim ac potestatem habent. 6. Permissum est parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutores dare. 7. *Tutoris datio sitne jurisdictionis.*
an verò

INSTITUTIONES JURIS CIVILIS.

an verò imperij mixti? 8. An Papista Lutheranò tutor dari possit? 9. An coecus possit esse tutor? An mutus? 10. Et si post susceptam tutelam sensum visus amiserit, an deponet tutelam? 11. Quam culpam praestet tutor, latam, levem, levissimam? 12. Si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento, confirmandus est. 13. An igitur testamentarius vel dativus tutor erit ille? 14. Tutor qui tempore suscepta tutela pauper erat, si postmodum ditescit, queritur an presumi possit ex bonis pupilli locuples fieri? 15. Omnes a. testamento tutores dari possunt, 16. Sed & servus proprius testamento cum libertate recte tutor dari potest, sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum, tacite libertatem directam accepisse videri. 17. Certæ a. rei tutor dari non potest, quia personæ tutor datur. 18. Quibus testamento tutor datus non est, his ex L. 12. tabb. agnati tutores sunt, qui legitimi vocantur. Qui enim succedit, non facile à tutela se excusare potest. 19. Occasione agnationis de capitis diminutione agitur, quæ est status mutatio. Et est vel maxima, vel minor, vel minima. Maxima, cum aliquis simul & civitatem & libertatem amittit. Minor est, cum civitas amittitur. Minima est, cum status hominum commutatur. Servus a. manumissus capite non minuitur, qui nullum caput habuit. 20. Quemadmodum ad exemplum dominicæ potestatis introducta est patria potestas, sic ad exemplum tutelæ patronorum introducta est tutela parentum. 21. Si cui nullus omnino tutor fuerat, Romæ quidem præfectus urbi, vel prætor secundum suam jurisdictionem tutores creabant. Jure novissimo & hodie quilibet fere magistratus. Impuberes a. in tutela esse, naturali juri conveniens est, ut qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutelam regatur. 22. Quæ autoritas est tutorum respectu pupillorum is consensus est curatorum respectu minorum. Sed placuit, meliorem quidem conditionem licere pupillis facere etiam sine tutoris autoritate, deteriore v. non aliter, quam cum tutoris autoritate. Neque tamen hæreditatem adire possunt, quamvis illis lucrosa sit, h. e. esse possit. Nam si evidenter lucrosa est, secus est. 23. Tutor a. statim in ipso negotio præsens debet author fieri si hoc pupillo prodesse existimaverit. Sed an in initio, medio vel fine autoritas interponetur? 24. Pupilli pupillæque cum puberes esse cœperint, à tutela liberantur pubertatem a. in masculis post 14. annum completum illico initium accipere, fœminæ v. viripotentes existimantur post an. num. 12. 25. Masculi puberes, & fœminæ viripotentes usque ad 25. annum completum, curatores accipient. Vnde quod constitutum de masculis, regulariter etiam de fœminis exaudiendum. Sed & mente captis & surdis & mutis, & qui perpetuò morbo laborant, curatores dandi sunt. Idem igitur de furiosis & prodigis. Sed an prodigo a lege vel à magistratu interdicitur administratio? 26. Hodie secundum

Recessus Imperij omnes tutores & curatores) qui enim tutor est, manet idem curator, secus atque olim) satisfacere coguntur. 27. Excusantur a. tutores varijs ex causis: Nimirum illi, qui tres liberos susperstites Romæ habent: item nepotes ex filio profunt. Ex mortuis, constat eos solos prodesse, qui in acie amittuntur, cum qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelligantur. Item qui res fisci administrant, vel Reip. causa absunt, aut potestatem aliquam habent: officium publicum: Item qui habent tria onera tutelæ; aut impares sunt oneri ferendo Inter quos sunt inimicitia capitales, quive maiores 70. annis. Quia. excusare se volunt, non appellant. *A datione vel in perpetuum non:* Si quis tamen falsis allegationibus excusationem tutelæ meruerit, nõ est liberatus onere tutelæ, neque plures semiplenæ excusationes unam plenam efficiunt. 28. Adjiciendum, quod omnes tutores suspecti fieri possunt. Et quod suspecti tutoris actio, sit popularis. Puberes curatores suos ex consilio necessariorum h. e. agnatorum suspectas possunt arguere. Suspectus est, qui non ex fide tutelam gerit, licet, solvendo sit. Suspectus remotus si quidem ob dolum, famosus est, ob culpam non æque. *An neq. oblatam, quæ tamen dolo equiparari solet?* 29. Si quis suspectus postulatur, quoad cognitio finiatur, interdicitur ei administratio. 30. *Appendicis loco sint, An tutor vel curator possit petere salarium? An tutor vel curator sibi ipsemet possit ex bonis pupilli vel minoris solvere.*

CAP. V. DE REBUS, EARUMQUE ACQUISITIONE.

1. Primo obiecto iuris per actio. sequitur secundum DE REBUS; Quæ vel in nostro patrimonio, vel extra patrimonium nostrum habentur. 2. Deinde quædam naturali iure communia sunt omnium, quædam publica, quædam universitatis, quædam nullius, PLEAQUE singulorum. 3. Et quidem naturali iure communia sunt omnium aer, a quo profluens, mare. Flumina n. omnia & portus publica sunt. 4. *Anne licet in privato alterius stagno piscari?* 5. Universitatis sunt theatra & his similia. 6. Nullius sunt res sacræ, religiosæ, & sanctæ, 7. Sacræ res sunt, quæ rite per Pontifices Deo consecratæ sunt. 8. *Anne res sacræ possunt alienari vel obligari, exceptâ causâ redemptionis captivorum?* 6. Religiosum locum unus quisque suâ voluntate facit, dum mortuum infert. 10. Etiam solum caput facit locum religiosum. 11. *Quod si a. cadaver locum religiosum facit, quaritur an arrestari possit pro debitis?* 12. Sanctæ quoq; res, veluti muri & portæ civitatis, quo dammodo divini juris sunt. Et muros

muros sanctos dicimus quia pœna capitis constituta est in transgressores. 13. An hæc pœna ad muros aliarum civitatum, quam urbis Romæ pertineat? 14. Singulorum a. hominum multis modis res fiunt: Quarundam enim rerum dominium nancissimur jure naturali, quarundam jure civili, 15. Quid, an hæc jus naturale & jus gent. sunt idem? 16. Fera bestia, & volucres & pisces, simulatq; ab aliquo capta fuerint, illius esse incipiunt. Quod enim nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. 17. Quicquid a. eorum ceperis, eousque tuum esse intelligitur, donec custodia tua coercetur. 18. Et naturalem libertatem recipere intelligitur, cū vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit eius persecutio. 19. In iis a. animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis REGULA comprobata est, ut eousque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habeant. 20. Gallinarum a. & anserum non est fera natura. 21. Et pro his potest competere furti actio. Ea enim datur pro re minima, quia juris civilis est, & ordinaria. 22. Item ea, quæ ab hostibus capimus, jure gent. Statim nostra fiunt. 23. Anne nostra fiunt, etiam Duce belli non dividente? 24. Quod per alluvionem agro tuo flumen adiecit, tibi acquiritur. Est a. alluvio incrementum labens: Et locum habet in agris limitatis. 25. Cū in suo solo aliquis ex aliena materia ædificavit, ipse intelligitur dominus: quia omne, quod solo inædificatur, solo eodit. 26. Literæ quoque, licet aureæ sint, chartis cedunt. An a. & sacra & aurea simul? 27. Si quis a non domino, quem dominum esse crediderit, bonâ fide fundum emerit, placuit fructus, quos percepit, eius esse pro cultura & cura. 28. Vnde bona fidei possessor acquirit fructus industriales, licet supervenerit verus rei dominus? Anne acquirit etiam fructus naturales? Et anne restituit, in quantum est factus locupletior. 29. Anne res pro derelicto habita desinat esse nostra, antequam alius occuparit. 30. Dominorum manent, & non pro derelicto habita censenda sunt, qua de rheda corrente non intelligentibus dominis cadunt. Sed an quis teneatur indicari inventum? Et si non constiterit de domino, an inter pauperes distribuendum id sit, vel retineri possit?

CAP. VI. DE SERVITUTIBUS, RERUMQUE acquisitione per usucapionem.

1. Res corporales sunt vel incorporales. Corporales sunt quæ tangi possunt, ut homo, vestis, aurum, &c. An, a. Imperator defendi possit, quod sub priori tit. de rer. divis. non posuerit hanc divisionem, in res corporales & incorporales? 2. Rusticorum prædiorum iura sunt iter, actus, via, aquæ ductus. Iter est jus agendi, via, jus vehundi &c. 3. Prædiorum

diorum urbanorum servitutes sunt, quæ ædificijs inhærent, etsi in villa ædificata sunt: *Aliàs pro subjectâ materiâ urbana prædia aliter interpretari possunt.* 4. Ut ne quis altius tollat ædes suas, ne luminibus vicini officiat: 5. *An a. hæc una sit servitus vel due?* 6. Ideò a. hæc servitutes prædiorum appellantur, quoniam sine prædijs constitui non possunt, Nemo enim potest servitutum acquirere urbanam vel rustici prædij, nisi qui habet prædiũ. 7. Usus fructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salvâ rerum substantiâ. 8. Sed & utilitatis causa censuit Senatus, posse etiam harum rerum usum fructum constitui, quæ usu consumuntur, ut tamen eo nomine hæredi utiliter caveatur. Ergo senatus non fecit earum rerum usum fructum, sed per cautionem Quasi usum fructum constituit. 9. *An testator possit remittere hanc cautionem in q. usufr.* 10. *An possit remittere cautionem, de utendo fruendo boni viri arbitrato?* 11. *An heres illas cautiones remittere possit?* 12. Finitur Usus fructus capitibus diminutionibus, maxima & media, & non utendo per modum & tempus. 13. Iisdem etiam illis modis nudus usus constitui solet, iisdemque finitur, quibus & usus fructus desinit. 14. Minus a. juris est in usu, quàm in usufructu: Nec ulli alij jus, quod habet, vendere potest, cum is, qui usum fructum habet, facere possit. 15. *An usufructuarius jus suum vendere vel locare possit?* 16. *Sequitur de usucapionibus.* JURE CIVILI constitutum fuerat, ut qui bonâ fide ab eo, qui dominus non erat, cum crediderit eum dominum esse rem emerit, vel ex donatione, aliavè justâ causa acceperit, HODIE res mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis possessionem (h. e. inter præsentés decennio, inter absentes 20. annis) usucapiat. 17. Error a. falsæ causæ usucapionem non parit, veluti cum quis, quod non emerit, emisse se existimet. 18. *Anne usucapiones cum jure naturali convenient?* 19. *An usucapiones in totum per jus civile tolli possint?* 20. *An is, qui resciverit rem esse alterius, post usucapionem bonâ fide completam, retinere possit bona cum conscientia* 21. Res sacræ, religiosæ usucapi non possunt: 22. Neq; furtivæ aut vi possessæ. Sed aliquando res furtiva vel vi possessa usucapi potest, veluti si in stamini potestatem reversa fuerit. 23. *An heres à se ipso possit incipere usucapionem, defuncto in mala fide existente?* 24. Tempora inter defunctum & heredem continuantur. 25. Inter venditorem quoq; & emptorem junguntur tempora. 26. *An contra minorem vivis parentibus incepta usucapio, dormiat, quamdiu est minor?* 27. *An contra ecclesiam v. annorum procedat usucapio?* 28. *An contra principem?* 29. *An monachus usucapere possit?* 30. *An in usucapione ultimus dies cœptus habeatur pro completo?*

CAP. VII. DE DONATIONIBUS.

1. Donatio dicitur quasi doni datio. Et ita dici solet à Iuris, non quoddam Grammatica derivatio (sciunt enim quod verbale hoc descendat à verbo donare) sed rem & subjectam materiam aliquo modo illustrare voluerunt. 2. Donatio quidem est alia mortis causa: Sed hic principaliter de donatione inter viros tractabimus. Germ. Ein Geschenk / eine Verehrung. 3. Hinc quæritur, an differentia sit inter donare seu donationem, & tradere seu traditionem, de qua in tit. de rer. divil. §. 41. ? Resp. puto esse differentiam, quia non omnes res gratis donantur, quæ traduntur. Unde dicimus, Er hat mich gelieffert / Er hat mir es vberantwortet / quæ locutiones aliæ sunt, quàm si dicimus, Er hat mir das geschicket / verehret. Differentiam hanc omnes observare possunt. 4. Donare illi possunt videntur, qui liberam bonorum suorum administrationem habent. 5. Donationem accipere possunt omnes, qui sciunt rem suam meliorem facere, etiam pupilli. Nam placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere etiã sine tutoris autoritate: deteriore v. non aliter, quàm cū tutoris autoritate ut habetur in princ. Inst. de auth. 6. Sed Justinianus ad donationem requirit insinuationem, si summa quingentos solidos excedit, daß es bey Gericht muß außgeführt werden. §. 2, J. h. t. 7. Puto tamen illam summam 500. solidorum non opus habere insinuatione. Nam sic habetur d. §. 2. verb. sine insinuatione. 8. Hic quæritur, an insinuatio requiratur, si magistratus donaverit subdito ultra 500. solidos? Resp. esse affirmandum si textum inspicimus. 9. An insinuatio requiratur, si subditus magistratui donaverit ultra 500. solidos? R. videtur affirmandum similiter. 10. Quæritur, si pater vel avus emancipatis liberis donaverit ultra 500. solidos, an requiratur insinuatio? R. videtur affirmandum: si textum sequimur. 11. Econtrà quæritur, si liberi emancipati donaverint patri vel avo ultra 500. solidos, an requiratur insinuatio: R. esse affirmandum: Nam textus simpliciter dicit de insinuatione facienda, & non distinguit inter magistratum, parentes vel alios. 12. Quæritur, an necessaria sit insinuatio, in donatione conditionali ultra 500. solidos: R. videtur affirmandum, quia textus non excipit hanc donationem. 13. Quæritur an necessaria sit insinuatio in remissione debiti, wann man einem eine solche Schuld nachleffet? R. videtur esse donatio: & in donatione ultra 500. solidos requiritur insinuatio. 14. Quæritur an insinuatio requiratur in donatione, quæ venit per consequentiam & accessorie, wenn man einem ein Ding verkaufft / vnd an dem Kauff vber 500. sol. verehret? R. videtur esse

esse affirmandum. 15. Quæritur si ecclesiæ fuerit aliquid donatum, an necessaria sit insinuatio, si summa 500. sol. excedit? R. si textum inspicio, videtur esse affirmandum. Si tamen alius hanc quæstionem ex jure Can. vult decidere, subriceo, &c. 16. Quæritur, si ecclesia donaverit ultra 500. solidos, an insinuatio necessaria sit? R. ut ad præcedentem quæstionem. 17. Quæritur, si quis donaverit monasterio, an necessaria sit insinuatio? R. ut ad præce. 18. Quæritur porro, si monasterium alicui donaverit ultra 50. sol. an necessaria sit insinuatio? R. ut ad præc. 19. Quæritur an necessaria sit insinuatio, si quis donaverit ultra 500. sol. semel in diversis locis, ut ein Theil zu Erfurt / ein Theil zu Jena / ein Theil zu Leipzig? R. videtur necessaria esse donationis insinuatio. 20. Quæritur, si quis dixerit, ut multæ sint donationes, & non una, an necessaria sit insinuatio, si summa excedit 500. sol? R. videtur una esse donatio, & ideo necessaria est insinuatio. 21. Quemadmodum a. in donatione necessaria est insinuatio, wenn einem etwas vergebens verehret vnd geschencket wird / & cum summa 500. sol. excedit: Sic vice versâ insinuatio non est necessaria, si quis non donat seu gratis dat, sed aliquo modo ad dandum adstringitur, wenn einer etwas gleichsam Nothhalben / oder Ehrenhalben geben muß. 22. Hinc quæritur, an in donatione remuneratoria necessaria sit insinuatio, si summa 500. sol. excedit? R. remuneratoria donatio non est gratuita, quando & quousque quis obstrictus est, sondern in deme / das einem verehret / vnd vergeblich gegeben wird. 23. Quæritur an requiratur insinuatio in donatione propter nuptias? R. Pater ad eam tenetur: Ergo non est gratuita donatio. 24. Quæritur si quis ultra 500. solid. alicui donaverit ad studia sua, & ut studere debeat, an requiratur insinuatio? R. Si facit, ut studeat & ut cogatur, facit nō gratis, sed propter aliquid, & ita non requiritur insinuatio. Aliàs in omni donatione requiritur insinuatio. 25. An in donatione feudi requiratur insinuatio, si donatio excedit 500. solid.? R. hæc quæstio ex jure feudali determinanda est. 26. Quæritur porro, si quis ultra 500. solidos donaverit emphyteusin, an necessaria sit insinuatio? R. si textū in spicimus, negare non possumus, si gratuita est emphyteusis: Sed si datur propter aliquid, quilibet videt, emphyteusin ex asse non esse donatam. 27. Quæritur an in ligatis necessaria sit insinuatio, si summa 500. sol. excedit? R. ita etiamus hîc de donationib. inter vivos & non de legatis. 28. Quæritur an quis renunciare possit insinuationi, si summa 500. sol. excesserit? R. Imperator aliquid præcipit, ego non debeo facere contrarium, sed sequi præceptum. 29. Quæritur an renuaciare liceat insinuationi, si summa 500. solid.

solid. excedit, cum juramento? R. non est iurandum: neque insinuatio potest omitti de jure Civili. De jure Divino Theologi & pastores respondeant. 30. Queritur si Imperator donaverit summam ultra quingentos solidos, an necessaria sit insinuatio? R. de Imperatore mihi non est disputandum, sed Imperatori obediendum.

CAP. VIII. DE TESTAMENTIS ORDINANDIS,

DEQUE ACQUISITIONE PER EA.

1. Testamentum ex eo appellatur, quod testatio mentis sit. Notatio hinc pro definitione habeatur. 2. An testamenti factio sit juris civilis, an verò juris gent? 3. An sit juris publici? 4. Testamenta, eorumque factio, an per jus civile tolli possint in totum? 5. An prohibitus facere testamentum possit facere codicillos? 6. Facere potest testamentum paterfamiliās, civis Romanus, puber. &c. 7. An igitur mutus & surdus possit facere testamentum? 8. An filiusfam? 9. An furiosus? 10. An prodigus? 11. An cæcus? 12. Præterquam quod testamentum uno contextu fieri debeat, necessario etiam requiruntur testes, numero septem, cives Romani, puberes &c. 13. Hique debent videre testatorem & audire loquentem. 14. An Filiusfam. potest esse testis? 15. An surdus? 16. An mutus? 17. An cæcus? 18. An mulier? 19. An furiosus. 20. Sed & testes omnes debent signare et sigillare testamentum: quod fieri potest etiam alieno anulo, si ejus rei expressa mentio sit. 21. Anne a. annulo necessario sigillandum sit, an v. liceat signare quovis alio signo? 22. Liberi intelliguntur testes: nam alioqui non essent cives Romani. Idem est, cum quis ex testibus testamenti quidem faciendi tempore liber existimaretur. 23. Anne igitur error jus facit? 24. Quid si quis omnium opinione, tempore, faciendi tempore pube. haberetur? 25. In testibus non debet esse is, qui in potestate testatoris est: Nec is, in cujus potestate testator est: Neque heres simili ratione. 26. Legatariis autem & fidei commissariis testimonium non denegatur. Sed an id etiam de nuncupativo testamento intelligendum. 27. Si quis autem sine scriptis voluerit ordinare testamentum, septem testibus adhibitis & suam voluntate coram eis nuncupatâ, sciat perfectissimum testamentum. 28. An solennitatibus testamenti scripti deficientibus, testamentum valere possit, ut nuncupativum? 29. Testes quoque subscribere debent omnes, & singuli, vel si scribere nesciant, ipsorum nomine alij, faciente eâ de re mentionem. 30. Pro appendice sit, an pater de feudo possit facere, testamentum inter liberos.

CAP. IX.

Sequitur porro in materia testamentorum.

DE MILITARI TESTAMENTO, DEQUE
heredibus instituendis.

1. Militibus propter imperitiam LL. civilium in expeditione de-
gentibus, coram duobus testibus permissum est facere testamentum:
quod post missionem per annum adhuc firmum manet. 2. *An verò miles
presumatur velle testari jure militari, h. e. an in dubio presumatur uti velle suo privile-
gio?* 3. *Quæritur an in militari testamento illi, qui casu intervenerunt, possint esse te-
stes?* 4. *Et an hæc materia specialiter sapiat?* 5. *An mutus miles potest facere te-
stamentum?* 6. *An surdus?* 7. *An mutus & surdus simul, miles esse possit?* 8.
Extra expeditionem de peculio castrensi & q. filiusfam. facit testamentum,
sed non jure militari. 9. Statim enim ij, qui alieno juri subiecti sunt,
testamenti faciendi ius non habent, adeò quidem ut quamvis parentes
eis permiserint, nihilo magis testari possint. 10. Cum filiusfam. regulariter
non possit facere testamentum, nisi de peculio castrensi & quasi: Et præ-
ter hos, si quis alius filiusfam. testamentum fecerit, inutile est. 11. *An igitur
de peculio adventitio filiusfam. faciet testamentum, si usufructus patri non acqui-
vitur?* 12. Præterea testamentum facere non possunt impuberes: quia
nullum eorum animi iudicium. 13. *An autem pubertati proximus & doli ca-
pax, possit facere testamentum.* 14. *Et an ad pias causas is possit facere testamentum?*
15. Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est,
testamentum facere non potest. 16. Cæcus non potest facere testamen-
tum, nisi per observationem Justiniani, & ut octo testes adhibeat. 17.
*De heredibus dicendum: de exheredatione tamen liberorum permittendum est. Qui
filium in potestate habet, curare debet, ut eum heredem instituat, vel ex-
heredem eum nominatim faciat.* 18. *An posthumus hodie possit exheredari? Et
an olim?* 19. Emancipatos liberos iure civili (antiquo) neque heredes
instituire, neque exheredare necesse est. 20. Si in expeditione miles te-
stamentum facit, & liberos suos silentio præterierit, non ignorans an ha-
beat liberos, silentium eius est pro exheredatione. 21. Heredes a. in-
stituire permissum est tam liberos homines quam servos, proprios etiam
sine libertate. 22. *Sed anne directam libertatem sic consequuntur?* 23. Pro-
prius a. servus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator
habet. 24. *Notandum:* non dum adita hereditas personæ vicem sustinet,
non heredis futuri, sed defuncti testatoris. 25. Et plures, usque in infi-
nitum, heredes facere licet, & non vivos. 26. *An igitur totum mundum li-
cet facere heredem?* 27. *Ecquid faciens testamentum de allodio, etiam de feudo fecis-
se videbitur?* 28. *An testamentum factum secundum statuta unius loci valebit in
alio*

alio loco, ubi alia statuta? 29. Heres & pure & sub conditione institui potest: ad certum tempus non potest. 30. Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, & libertatibus pro non scripta habetur.

CAP. X. DE SUBSTITUTIONIBUS: Item de modis, quib. testamenta infirmentur?

1. *Ratione heredum instituendorum, etiam de substitutione dicendum est.* Substitutio est secundaria institutio, & institutionem imitatur, ut si quis in testamento plures gradus heredum facit, puta, si hic heres non erit, ille heres non erit, ille heres isto. 2. Substitutio pupillaris vel vulgaris est. Hæc, quæ heredi instituto, in casum non aditæ ab eo hereditabis, substituitur: Illa, qua in potestate constituto usque ad annos pubertatis substituitur. Simile in exemplari, 3. Quos in potestate quis habet, moribus receptum est, ut cum eius ætatis filii sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant. 4. *Non valet substitutio, nisi pater sibi prius fecerit testamentum.* Liberis enim solis testamentum facere nemo potest nisi & sibi faciat Nam pupillare testamentum sequela est paterni testamenti, adeò ut si patris testamentum non valeat, nec filij valeat. 5. Ergo in pupillari substitutione duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alterum filii. 6. *Etiã exheredatis licet substituere* 7. *Eo casu, quicquid exheredato pupillo legatis aut donationibus propinquorum, aliaveratione acquisitum est ad substitutum pertinet.* 8. *An substitutio pupillaris, ante institutionem patris scripta, valeat:* 9. *Qui mente captos habet filios, nepotes, pronepotes in potestate, etsi puberes sint, eis substituere potest.* 10. Extraneo v. ita substituere nemo potest, ut, si heres extiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit heres. 11. Mater E. filiis pupillariter substituere non potest, sed pater tantum, qui eos in potestate habet. 12. *Si heres institutus præter opinionem testatoris fuerit servus, inter heredem hunc & substitutum, tanquam in dubio, æquis portionibus dividitur hereditas.* 13. Testamentum jure factum eousque valet, donec rumpatur, irritumve fiat, 14. Per posterius quoque testamentum, jure perfectum, prius testamentum rumpitur. 15. Ex eoq. solo non potest infirmari testamentum, quod testator id noluerit valere. 16. *Nam voluntas illa declaranda est coram septem testibus, civibus Romanis, puberibus, masculis.* 17. *Sic verificabitur regula juris: Quod unumquodque eo modo solvitur quo colligatum est.* 18. *An Imperator sit solutus legibus?* 19. Sed nec liberi tantum permittuntur testamentum parentum in officiosam accusare. verum etiam liberorum parentibus Frater & soror turpibus personis scriptis heredibus prælati sunt. 20. *An a. spurij pro*

talibus turpibus personis habeantur? 21. An querela de inofficioso testamento sit juris civilis? 22. Heredes, in genere loquendo aut necessarii sunt, aut sui & necessarii aut extranei. 23. Necessarius heres est servus. 24. Sui & necessarii heredes sunt (filii & fam., nepos &c.) qui in potestate morientis modò fuerint. Si a. ideo appellantur, quia domestici sunt, & vivo quoq; patre quodammodò domini existimantur. Necessarii v. dicuntur, quia five velint five nolint, heredes sunt. 25. Sed hîc prætor permittit abstinere hereditate. 26. Cæteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei heredes appellantur. 27. Heres a. se pro herede gerere videtur, si rebus hereditariis, tanquam heres, utitur vendendo, locando &c. 28. Nam pro herede gerere, est pro domino gerere. 29. An igitur heres ab herede descendit? 30. Addo, an per vulgarem substitutionem, ex necessario herede, pater faciat voluntarium?

CAP. XL

Ratione accessionis testamentorum.

DE LEGATIS.

1. Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda. 2. An in hac definitione toleranda verba (ab herede præstanda) quia interdum ipse testator, item legatarius præstat legatum? 3. Constitutum est, ut omnibus legatis una sit natura quibuscumque verbis aliquid relictum sit. 4. Omnia legata fidei commissis exæquata sunt (particularibus scil.) ut nulla inter ea sit differentia. 5. Etiam res aliena ligari potest, ita ut heres cogatur eam redimere. 6. Sed si talis res est, quæ non est in commercio nec eius æstimatio debetur, si defunctus sciebat rem alienam esse, non si ignorabat. 7. An judæo præstanda sit æstimatio Christiani mancipij legati? 8. An feudi legati æstimatio debeat? 9. An emphyteusis legati possit? 10. Et an ejus æstimatio præstanda sit? 11. Si ex causa lucrativa, veluti donatione, vel simili causa rem legatam nactus fuerit legatarius, agere non potest. 12. Nam traditum est, duas causas lucrativas in eundem hominem & eandem rem concurrere non posse. 13. Nam testatoris votum videtur finem suum consecutum. 14. Si eadem res duobus legata sit, si alter deficiat, totum ad collegatarium pertinet. 15. In omnibus conjunctis (sive verbis, sive re, sive re & verbis simul) habet locum jus accrescendi. 16. An a. re conjuncti præferantur verbis conjunctis, vel contrà? 17. Si rem legatarij quis ei legaverit, inutile est legatum: quia quod proprium est, amplius eius fieri non potest. 18. Quod si in diem vel conditione debitum quis purè legaverit, utile est legatum propter repræsentationem. 19. Si servus cum peculio legatur, mortuo servo peculij legatum extinguitur. 20. Extincto namq; prin-

cipae

cipali etiam accessorium extinguitur. 21. Sed annon & accessorium considerari posset tanquam principale, aliquo casu? 22. Quid si ancilla pregnantis legata fuerit, an matre extincta debeat partus? 23. Si generaliter servus vel res alia legatur, electio legatarij est. 24. Anne igitur legatarius favorabilior est herede? 25. Et annon in alternativis electio solet esse debitoris? 26. Si quidem in nomine, cognomine, prænومine, agnomine legatarij testator erraverit, cū de personā constat, nihilominus valet legatum. Idemque in heredibus servatur: & rectè. 27. Nomina significandorum hominum gratia reperta sunt. 28. Sed anne hoc speciale in testamentis est? 29. Regula est: Falsā demonstratione legatum non perimi. 30. Neq; falsa causa nocet. De conditione secus est.

CAP. XII.

Ratione Legatorum.

DE LEGE FALCIDIA. Item de fideicommissis & codicillis.

1. Lege Falcidia cavetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorum, h. e. ut, sive unus heres institutus sit, sive plures, pars quarta penes eum eosve remaneat. 2. Lex Falcidia introducta est contra L. 12. tabb. qua habet: Uti unusquisq; paterfam. legasset rei suæ, ita ei jus esto. 3. Quantitas patrimonij mortis tempore spectatur. 4. Et cū ratio legis Falcidiæ ponitur, antè deducitur æ alienum, item funeris impensa. 5. In singulis heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est. 6. Cū igitur verba L. Falcidiæ sint prohibitiva (NE) generaliter, de omni persona & omni re atque tempore, intelligenda sunt, exceptis militibus. 7. Quid igitur de militibus coelestis & togata militiæ h. e. de clericis & advocatis &c? 8. Verū licet verba Legis Falcidiæ sint negativa, & prohibitiva, jure tamen Novellarum testatori permissum est, expressim prohibere detractionem Falcidiæ. 9. An a. testator per equipollentia verba prohibere possit? 10. An Falcidia sit bonorum vel hereditatis quota? 11. An, si non potest detrahi Falcidia ex unius legatarij re (prohibente naturā vel lege expressā) aggraventur portiones, aliorum legatariorum, præter suam detractionem, etiam quoad hoc? 12. An Falcidia detrahatur ex fideicommissis singularibus, propter equipollentiam legatorum & fideicommissorum singularium? 13. Aliàs Fideicommissa appellata sunt, quia nullo vinculo juris, sed tantū pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. 14. In primis hīc sciendum est, opus esse, ut aliquis recto jure heres instituat, ejusque fidei committatur, ut eam hereditatem alij restituat. 15. Senatusque, perinde liceret quartam partem retinere ex fideicommissis, ut lega-

legatario ex legatis: Et hæc Trebellianica vocatur. 16. An Trebellianica prohiberi possit à testatore? 17. Præterea intestatus quoque moriturus, potest rogare eum, ad quem bona sua pertinere intelligit, alteri restituere. Eum quoque cui aliquid restituitur, potest rogare, ut id rursus alij restituar. 18. In fideicommissis, quemadmodum in aliis ultimis voluntatibus præter testamenta, quinque testes requiruntur. 19. Potest etiam quis singulas res per fideicommissum relinquere. 20. Cum aliena res per fideicommissum relinquatur, necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere & præstare, aut æstimationem ejus solvere, haud secus atque si res aliena legata fuerit. 21. Qui ex fideicommissi causâ manumittitur, non testatoris fit libertus, sed ejus, qui manumittit. 22. Sed is tantum, qui directò liber esse jubetur, testatoris libertus fit. 23. Paucioribus, quàm quinque testibus adhibitis, heredi desuper potest deferri juramentum, modò legatarius vel fideicommissarius prius juraverit de calumnia. 24. Non tantum testamento factò potest quis CODICILLOS facere, sed & intestatus decedens potest fidei committere codicillis, ut s. n. 17. 25. Codicillis enim hereditas neq; dari neq; adimi potest. 2. Intellige scil. DIRECTO. 27. Quot testes requirantur in codicillis? 28. An femina possit esse testis in codicillis? 29. An necesse sit testes specialiter vocare seu monere? 30. An uno contextu codicillos facere oporteat.

CAP. XIII. DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO
I. De obligationibus, Quæ recontrahuntur.

1. Sequitur de obligationibus. Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei solvendæ, secundum nostræ civitatis iura. 2. An tractatus de obligationibus spectet ad primum objectum juris de personis, vel an ad res referendus sit? 3. Quare non supra de obligationibus tractatum, quando de rebus incorporalibus: & an hic minus acquiratur atque ibi? 4. An hæc definitio obligationis de civili obligatione, vel de civili & naturali simul intelligatur? 5. Obligationes, aut ex contractu, aut ex q. contractu; aut ex maleficio, aut q. ex maleficio. 6. Quæ ex contractu sunt, aut recontrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu. 7. Annon postremo loco agendum erat de obligatione, quæ re & literis contrahitur? 8. Recontrahitur obligatio, veluti mutui datione. 9. Mutui datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero mensuravè constant. 10. An igitur in omnibus rebus consistit mutuum, quia omnes numerari possunt? 11. Mutuum à reliquis contractibus realibus differt: 12. Quoniam nobis in mutuo non eadem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis reddantur, secus atq; in commodato, deposito vel pignore;

pignore: Inde etiam mutuum appellatum est, ut ex meo tuum sit. 13. Ex contractu mutui nascitur actio, quæ vocatur certi condictio. 14. Verum an hæc certi condictio, quæ ex mutuo nascitur, specialis sit, & alia quam illa, quæ est ex stipulatione? 15. An panes possint dari mutui? 16. Pecunia valore mutato, quomodo in mutuo faciendâ sit restitutio? Et an tempus contractus vel solutionis sit inspiciendus quoad valorem monetæ? 17. Item is cui aliqua res utenda datur h. e. commodatur, re obligatur, & tenetur comodatæ actione. 18. Commodata res tunc proprie intelligitur, si nullâ mercede acceptâ vel constitutâ res tibi utenda data est: alioqui mercede interveniente, locatus tibi usus rei videtur. 19. Et commodatum debet esse gratuitum: Honorarium tamen accipi potest. Ergo. 20. Commodatarius exactam diligentiam adhibere debet: Nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantum suis rebus adhibere solitus est. 21. Quod si enim versatur commodum tam dantis quam accipientis, præstari solet culpa levius: si accipientis solum, culpa levissima: & contrâ, culpa lata, si dantis commodum solum versatur. Hæc regula est. 22. Imò Quia ab onere ad commodum & à commodo ad onus hæc infertur, seu ad damnum, regula reciprocè intelligitur procedere. 23. Quod si res commodata deterior fuerit, quaeritur an pretium deteriorationis solvendum, vel re restituta, integrum rei pretium? 24. An inter commodatum & mutuum auctores Latina lingua semper accuratè distinguant? 25. Præterea & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, teneturque actione depositi. 26. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit, juxta num. 21. 27. An depositum in rebus immobilibus consistat? 28. Creditor quoque qui pignus accepit, re obligatur, teneturque actione pignoratitiâ. 29. Pignus à pugno dicitur. 30. An statutum, loquens de pignore, locum habeat in hypothecâ?

CAP. XIV. DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ
verbis contrahuntur.

1. Verbis (intellige, ore prolatis, non scriptis) obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione (scilicet, convenienti ad interrogationem) cum quid dari fieri ve nobis (ergo non alteri) stipulamur: Ex qua duæ proficiuntur actiones, tam condictio certi, si certa sit stipulatio, quam ex stipulatâ, si incerta sit, fortè à stipite descendens. Dico (fortè) quia conjectura admittuntur in notationibus. 2. Nec necesse est eadem lingua utrumque uti, sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. 3. Omnis stipulatio aut pure, aut in diem, aut sub conditione fit. Idem in alijs contractibus fit; neque enim hic peculiare est. 4. Ex conditionali stipulatione tantum spes est debirum initi: eamque ipsam spem in heredem transmittimus. 5. In stipulatum deduci

deduci etiam possunt facta. 6. Et in huiusmodi stipulationibus facti, optimum erit pœnam subiicere, ne quantitas stipulationis, in incerto sit, ac necesse sit actori probare, quod eius intersit. 7. *An stipulatio sit juris civilis, vel juris gent.?* 8. Ex stipulationibus, in quibus duo sunt rei stipulando, & promittendi (*h. e. duo stipulatores & duo promissores*) solidum singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur, alter tamen solvendo omnes liberat. 9. Servus ex persona domini ius stipulandi habet. 10. Sive a domino, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter servus stipuletur, domino acquirit. Idem iuris est in liberis. 11. Sed cum factum in stipulatione continetur, omnimodò persona stipulantis continetur. 12. *Hoc autem an ad servitia militaria de jure feudali extendi possit?* NB. 13. Stipulationum aliæ sunt judiciales, aliæ prætorix, aliæ conventionales, aliæ communes tam prætorix quàm judiciales. 14. Omnes res, quæ in commercio sunt, in stipulationem deduci possunt. 15. Inutilis est stipulatio, si quis ad ea, quæ in interrogatus fuerit, non respondeat, veluti si quis decem aureos stipuletur, tu quinque promittas. 16. *Quid si quis plures quàm decem promiserit, an obligabitur?* 17. Murum neq; stipulari neq; promittere posse, palam est: Quod & in surdo receptum est, & in furioso. 18. *An verò mutus scripturâ possit obligari?* 19. *An pupillus sine tutoris auctoritate obligetur saltem naturaliter?* 20. Si impossibilis conditio obligationibus adiiciatur nihil valet stipulatio, Aliud in testamentis obtinet. 21. Item verborum obligatio inter absentes contracta, inutilis est. 22. Alieri stipulari NEMO POTET. 23. *An autem frater fratri possit stipulari secundum?* 24. *Et an ex tali stipulatione alteri factâ obligatio naturalis nascatur?* 25. Plane si quis alteri vult stipulari, pœnam stipulationi adicere debet, ut, nisi i a factum sit, ut est comprehensum committatur pœnæ stipulatio etiam ei, cuius nihil inter est. 26. Sed & si quis stipuletur alij, cum eius interesset, placet stipulationem valere. 27. Versâ vice, quæ alij facturum promissit, videtur in eâ esse causa, ut non teneatur, nisi pœnam ipse promiserit. 28. Si de aliâ restipulator senserit, de alia promissor, nulla contrahitur obligatio. 29. Rem n. oportet esse certam in stipulationibus, non minus atq; in emptione & aliis contractibus. 30. Quod turpi ex causa promissum est, non valet.

CAP. XV. DE FIDEJUSSORIBUS: Et obligationibus, quæ literis contrahuntur.

1. *Ratione verborum obligationum subnectitur de Fidejussionibus, tanquam ijs, quæ & ipsa verbis contrahuntur, & accessoria sunt.* Fidejussores sunt, qui fidei iubent:

subent aliquid fieri darive. 2. Qua sit differentia inter fidejussorem & mandatore? 3. Fideiussor ita obligari non potest, ut Plus debeat, quam debet is, pro quo obligatur. 4. Nec plus in accessione potest esse, quam in principali. 5. An a. qui plus promisit fidejubendo, quam principali debebat, saltem in competentem summam obligatur, h. e. in id, quod principalis debebat? 6. An in criminabilibus admittatur fidejussor? An pro debito quis se ad carceres vel obstagionem tur letestung fidejubendo hodie obligare possit? 8. An pro dote admittatur fidejussor? 9. Et an maritus volens dare fidejussorem faciat, ne locus sit rubrica Codicis: NE fidejussores dotium dantur. 10. Et an talis fidejussor tum obligetur? 11. An usarius possit esse fidejussor uxoris, vel contra? 12. Alias in omnibus obligationibus fideiussores assumi possunt. 13. Fideiussor non modo ipse obligatur, sed heredem etiam relinquit obligatum. 14. Hinc liquet, an quis pro se ipso possit fidejubere? 15. An pupillus possit esse fidejussor? 16. An prodigus possit esse fidejussor? 17. An pro pupillo intervenire possit fidejussor? 18. An pro prodigo intervenire possit? 19. Fidejussores regulariter habent beneficium ordinis & excussionis. 20. Sed qui obligavit se ut principalem, nicht allein als burge/ sondern auch als selbst schuldenern / an habeat beneficium excussionis? 21. An juramentum excludat excussionem? 22. Hactenus quomodo verbis obligemur: Literis obligamur? Scribentes nos quid debere. 23. An sicut in verborum, ita & in literarum obligationem omnes res & facta deduci possint? 24. Per bienium, si cui pecunia quidem promissa s. d. numerata non est, cujus tamen nomine obligatio data est, opponere licet exceptionem non numeratae pecuniae. 25. An haec exceptio biennalis sese extendat ad alias etiam res, quam pecuniam numeratam bahr gelt / oder gelt sorten? Nam alibi sub appellatione pecuniae omnes res continentur, quia aestimantur pecuniam: Vnde dicimus, er ist so vtel hundert gülden reich. 26. Civitatibus si quis credit pecuniam, oportet ut probet creditor in rem earum versam esse pecuniam: Id quod speciale est in civitatibus. Unde consequenter exceptio non numeratae pecuniae civitatibus in perpetuum competit. 27. Sed si quis alius post biennium probare velit, pecuniam sibi numeratam non esse, opponere potest hanc exceptionem, quae alias ad biennium tantum se extendit. 28. An renunciari possit exceptioni non numeratae pecuniae? 29. Et an ei cum juramento renunciari possit? 30. Vnum notandum est, quod, cum haec obligatio literis fiat & in scriptis, necesse erit etiam in scriptis proponere exceptionem non numeratae pecuniae.

CAP. XVI. DE EMPTIONE-VENDITIONE,
& Locatione-conductione.

1. Restat de obligationibus ex consensu. Consensu contrahuntur obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus-conductionibus,

societatibus & mandatis. 2. Consensu dicuntur contrahi obligationes, quia solus consensus primario & principaliter inspicitur: atque ita quibuscumque modis contrahi possunt, inter praesentes & absentes, per se verbis, aut per nuncium. 3. Ideo infans furiosus, dormiens, mente captus, quia iudicio & consensu penitus carent, non obligantur. 4. Qui non possunt consentire non possunt vendere, locare, societatem inire, mandare: An ergo qui possunt consentire, possunt vendere, locare, mandare &c. 5. An in his obligationibus consensus tacitus sufficiat? 6. An literis possint contrahi haec obligationes, sic, ut maneat obligationes consensu inita? 7. Quae differentia sit inter obligationem & contractum? 8. Verba contrahentium an semper secundum naturam contractus intelligenda sint, etsi supervacua per hoc efficiantur? 9. Emptio-venditio contrahitur, simul atque de pretio conveneris, quamvis nondum pretium numeratum sit. 10. In iis a. quae scriptura conficiuntur, non aliter perfectam esse emptionem & venditionem constituimus, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta. 11. Tamen si enim solo consensu de jure possit contrahi emptio-venditio; quod si tamen contrahentes voluerint desuper scripturam confici, non aliter perfectus contractus esse censetur, quam si scriptura illa iam confecta sit. 12. An igitur duae sunt species emptionis-venditionis? 13. An scriptura hoc casu ad substantiam contractus requiratur, vel ad probationem saltem? 14. Nam alias tria sunt substantialia merx, pretium, & consensus: quorum uno deficiente, nullus est contractus. Quomodo igitur solo consensu dicitur fieri emptio & venditio? 16. Pretium certum esse debet. 17. Item pretium in numerata pecunia consistere debet, nicht an Wahren. 18. Non igitur hoc in loco vox pecunia denotat omnem rem. 19. Et ratio est, quia per pecuniam emptio-venditio discernitur à permutatione. Quid igitur, si & pretium & merx solvatur? 20. Periculum rei venditae statim ad emptorem pertinet, tamen si adhuc ea res emptori tradita non sit. 21. Unde colligitur, an res empti ante traditionem emptori pereat vel venditori? 22. Subnectam hanc, an instrumentum venditionis precij quantitate non expressa probeat? 23. Locatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque juris regulis consistit. Nam si emptio & venditio ita contrahitur, si de pretio convenerit, sic & locatio conductio, si de mercede convenerit. 24. An in locatione merces in pecunia numerata consistere debeat? 25. Quam culpam conductor praestare teneatur? 26. An per locationem ultra decennium factam transferatur utile dominium? 27. Emphyteusis neque ad locationem conductionem refertur, sed peculiaris contractus est. Sed anne iuramentum vel civilis? 28. An ad emphyteusim necessario scriptura requiratur? 29. An emphyteusis in emphyteusim alij dari possit? 30. An valeat argumentum ab emphyteusi ad feudum.

CAP. XVII. DE SOCIETATE ET MANDATO. I.
 CAP. XVIII. DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ EX
 delicto nascuntur. Et quidem de Furtis.

1. Obligationes ex delicto omnes ex R E nascuntur h. e. ex ipso maleficio veluti ex furto, rapina, damno, injuriâ. 2. Furtum est contrectatio fraudulosa lucti faciendi gratia, vel ipsius rei vel etiam usus ejus possessionisvè, quod lege naturali prohibitum est admittere 3. *Anne natura vel jure civili prohibitum est furtum?* 4. *An furtum sit, si non sit lucri causa?* 5. *Nihil tamen ob est, si lucrum non sit secutum?* 6. Furtum a. vel à furvo, h. e. nigro dictum est, vel à fraude, vel à ferendo, i. e. auferendo. 7. Furtorum a. duo sunt genera, manifestum & non manifestum. 8. *Pœna furti manifesti an sit juris civilis vel prætorij?* 9. *Pœna furti nec manifesti an sit. juris civilis?* Nota a. terminum. 10. Furtum manifestum est extendendum, quam diu rem furtivam fur tenens visus vel deprehensus fuerit. 11. *An pœna suspendij, quâ fures indifferenter ferè in crucem aguntur, defendi possit?* 12. *An suspendendus, si fracto laqueo in terram cadit, iterum debeat suspendi, an vero sententiæ satisfactum esse censeatur?* 13. *Queritur hîc de tabellario, qui, cum pecuniam transportare deberet, in suos usus convertit, nunquid furti accusari possit?* 14. *An furem deprehensum occidere liceat?* 15. *Quid si noctu fur venerit, seq. telo defenderit?* 16. *De furto nec manifesto constare potest, si constat, quid sit manifestum.* 17. *Aliàs furtum fit generaliter, cum quis alienam rem invito domino contrectat, v. s. n. 4.* 18. *Furti tamen sine affectu furandi non committitur.* 19. *Furti tenentur non modò fures, sed omnes, qui scienter rem furtivam susceperint & celaverint, etiam receptatores furum die die debe herberge.* 20. *Cujus ope & consilio furtum factum est, tenetur etiam furti.* 21. *Sed an rem furtivam in alienis aedibus mihi perquirere liceat?* 22. *An res furtiva inventa fisco applicari debeat, an domino potius restituenda sit?* 23. *An is, apud quem res furtiva inventa est, juramento sepurgare opus habeat? An si res minima, ut anseres &c.* 24. *An servi fugientes præsumantur res circa id tempus amissas subtraxisse?* 25. *An cadavera suspensorum possint deponi, & sepultura mandari?* 26. *An cadavera suspensorum medicis ad anatomen concedenda sunt?* 27. *An puella, quæ furem in maritum sibi petit, à pœna ipsum liberet?* 28. *Furti a. actio ei competit, cujus inter est rem salvam esse, licet dominus non sit.* 29. *Hi qui in parentum potestate sunt si rem eis surripiunt, furtum quidem faciunt, sed furti actio non nascitur,* 30. *An igitur pater filium emancipatum furti accusare potest?*

CAP. XIX. DE RAPINA, DAMNO ET INJURIIS.

1. Qui vires alienas rapit, tenetur etiam furti, & actio furti contra ipsum,

ipsum potest institui. 2. Sed tamen propriam actionem ejus delicti nomine prætor introduxit, quæ appellatur *vi bonorum raptorum*, & est intra annum quadrupli post annum simpli. 3. Ridiculum n. esset, melioris conditionis esse raptorem quàm furem. 4. *An mitius igitur puniatur raptor quam fur: Et quare?* 5. Generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio competit, ex iisdem causis omnes habere hanc actionem. 6. *Sed ob quam causam introduxit prætor hanc actionem, an in odium furum.* 7. *An verò ut suam jurisdictionem exerceret, aut quò minus homines dubitarent de auxilio prætoris, ad quem aliàs confluere solebant?* 8. Ita tamen competit actio, si dolo malo quis rapuerit. 9. Nemini quoque liceat vi rapere rem, licet suam esse existimet, sed si quis contra fecerit, rei suæ dominio cadet, si alterius res sit, æstimationem ejus rei præstabit. 10. Ex L. AQUILIA si quis alienum hominem, alienam vè quadrupedem, quæ pecudum numero sit, injuria occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. 11. *Annon iniquissimum, si quis occiderit servum claudum, qui eo anno claudus factus sit?* 12. *Lex Aquilia est plebiscitum, & tamen lex vocatur.* 13. De ijs tantùm hîc agitur, quæ gregatim propriè pasci dicuntur, ut sunt equi, muli, asini, oves, boves &c. 14. *Qui latronem occiderit, non tenetur, utique si aliter effugere non potest.* 15. *Hinc judica de equalitate armorum: item de defensione.* 16. *In L. Aquilia spectatur etiam culpa levissima, quæ scil. in committendo consistit.* 17. Imperitia quoq; culpæ annumeratur, veluti si medicus perperam ægroto medicamentum dederit. 18. *Annon & judex, male judicans tenetur L. Aquilia: Et quæ ratio differentia?* j. n. 28. 19. *Capite tertio L. Aquiliae de omni cætero damno cavetur, si quis servum vulneraverit?* 20. In cæteris quoque omnibus animalibus, item in omnib. rebus, quæ animâ carent, damnum per injuriam datum hac parte vindicatur. 21. INJURIA committitur, non solum cum quis verberatus est, sed et si cui convitium factum fuerit: Et est vel verbalis vel realis. 22. Patitur a. quis injuriam non solum per semetipsum, sed etiam per liberos suos, quos in potestate habet: item per uxorem suam. 23. *An teneatur injuriarum, qui volenti filio intulit injuriam, aut filia stuprum?* 24. *Servis a. ipsis nulla injuria fieri intelligitur, scil. verbalis: quia servorum de jure civili non habetur ratio, multò minùs ulla est dignitas.* 25. Prætores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt, eam æstimare: quod adhuc hodie obtinet. Et conjungi solet actio ad revocationem auffs einen *Wiederruff*. 26. Atrox injuria æstimatur vel ex facto, vel ex loco, vel ex persona. 27. Sciendum a. est de omni injuria, eum qui passus est posse vel criminaliter agere vel civiliter, 28. *Si iudex litem suam fecerit, videtur, q. ex male-*

ficio

scio teneri. 29. Item is, ex cuius cœnaculo deiectum effusumvè aliquid est ita utalicui noceret. Ubi quo ad liberum hominem, iudex computare debet mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: Præterea operas, quib. carnit, aut cariturus est ob id, quòd inutilis est factus. 30. Item exercitor de dolo aut farto, quod in cauponâ factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur:

CAP. XX. DE ACTIONIBUS:

Restat tertium objectum iuris. Actio nihil aliud est, quàm jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur. 2. An definitio actionis comprehendat vindicationes? 3. An actiones sint iurigent. vel iuris civilis? 4. I. Actiones aut in rem sunt aut in personam? 5. Appellamus a. in rem quidem actiones, vindicationes, in personam, condictionses. 6. In vers. Sane uno casu &c. unus casus intelligitur de iudicijs duplicibus, familia herciscunda, communi dividundo, & finium regundorum. 7. Actio publiciana à prætore inventa est, in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se usucepisse, quam usu non cepit. Ergone iudea docent mentiri? 8. Res nondum Præscripta per publicianâ vindicatur. 9. Actio Publiciana an etiam domino competat? 10. Servianâ experitur & persequitur quis ea, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur. II. Quasi servianâ creditores pignora persequuntur 12. Post delatum iuramentum & præstitum, nullum deferenti hæc in parte super est remedium. 13. Quid verò si constat parrem perjerasse, quaritur, an causa possit retractari? 4. An perjurium puniatur de iure civili? 15. An discipulus sine veniâ præceptorem in jus vocare possit? 16. An vasallus Dominum suum in jus vocare possit sine veniâ? 17. II. Quædam actiones rei persequendæ gratiâ comparatæ sunt, quædam pœna, quædam v. mistæ sunt. 18. III. Omnes a. actiones vel in simplum conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. 19. III. Actionum quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti iuris. 20. Bonæ fidei sunt hæ: Exempto vendito, locato conducto, negociorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pigneratitia, familiæ herciscundæ, communi dividundo, præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, ex permutatione, & hereditatis petitio. 21. An plures sint actiones bonæ fidei? 22. An feudum huc referendum sit? 23. Præferri mulierem alijs creditoribus in hypothecis tum censet imperator, cum de dote suâ experiat. 24. An mulier ratione dotis præferatur illis creditoribus, qui specialem hypothecam anteriorem habent? 25. Quæ differentia inter actiones bonæ fidei & arbitrarias. 26. V. Solidum vel non solidum persequimur. 27. Non tenentur ultra quàm facere possunt, parens, maritus, socius, donator, i-

tem

tem qui jam antè cessit bonis. 28. Compensatio in omnibus contractibus locum habet, si res sunt fungibiles. excepto deposito. 29. An locum habeat compensatio, si quis juravit solvere? 30. Pro coronide sit, quot plus quatuor modis petitur, re, tempore, loco & causâ: Et quod sententia debeat esse certa, quæ partes earumque litem dirimat.

CAP. XXI. DE IIS, PER QUOS AGERE POS-
sumus, h. e. de procuratoribus &c.

1. Constat quemlibet hominem aut suo nomine, aut alieno agere.
2. *Suo nomine, si in propriâ personâ.* 3. *Alieno nomine, veluti per procuratorem.*
4. *Aliàs procurator vel ad lites est vel ad negocia simpliciter.* 5. *Sed hîc nihil dicimus de procuratore ad negocia.* 6. *Nobis hîc est procurator, qui in judicio aliena negocia, mandato domini administrat.* 7. *Procurator, quando litem contestatus est, dicitur fieri dominus litis.* 8. *Procurator vel ad unum actum constituitur, vel ad totam causam.* 9. *Interim cuicumque permiseris rem tuâ agere, is tuus procurator intelligitur.* 10. *Procurator neq; certis verbis neq; præsentem semper adversario constituitur: 11. Sed consensu, per mādatum, tam extra judiciū, quàm in judicio, q̄ apud acta appellant.* 12. *Vtrum pater in bonis filij, in quibus usumfructum habet, sine ejus consensu, etiam ante litem contestatā, procuratorē constituere possit?* 13. *An procurator admittatur minor 25. annis?* 14. *Et an advocatus esse possit minor, modò fuerit 18. annorum?* 15. *An infamis possit esse procurator?* 16. *An miles?* 17. *Surdus non potest esse procurator.* 18. *Neq; cæcus.* 19. *An in criminalibus procurator admittatur: Et an tum, si pœna est relegatione major?* 20. *An procuratoris peculium habeatur pro peculio castrensi, & æstimeatur jure castrensis peculij?* 21. *An obsit nobilitati, agere procuratorem?* 22. *Quâ occasione queritur, an obsit nobili suscipere gradum Doctoris?* 23. *Et an obsit Comiti vel Baroni creari equitem?* 24. *Procurator de quotâ litis pacisci non debet.* 25. *Alioquin fit infamis: Sed quid, si jã antè est infamis?* 26. *Procuratori, quod pro muleta solvit, clientes restituere non tenentur.* 27. *An contra procuratorem, qui culpa sua causam perdidit instituat̄ actio mandati das er den verlust vnd Unkosten zahlen müsse?* Et quid, si non est solvendo? 28. **DE SATISDATIONIB** adijcio, quod immobilium possessor ad satisfactionem non adstringatur. *Quid v. de bellis tempore?* 29. *Satisdatur autem fidejussoribus: qui si non possunt inveniri, iuratoria cautio locum habet, ut simul quis iuret, se impendisse diligentiam, ne tamen fideiussores habere posse.* 30. *Sine satisfactione nemo aliënæ rei defensor idoneus intelligitur.*

CAP. XXII. DE EXCEPTIONIBUS.

1. *Actiones (ut quadam præmittamus) quæ ex propriâ prætoris iurisdictioni-*

dictione pendent, plerunq; intra annum vivunt. Nam & ipsius prætoris
 intra annum erat imperium. 2. Furti manifesti actio, quamvis ex ipsius
 prætoris jurisdictione proficiatur, tamen perpetuò datur. 3. *Anne actio*
furti manifesti sit ex jure prætorio, vel an hîc rapina intelligatur, quò ad simplum post
annum? 4. Est certissima juris regula, ex maleficijs pœnales actiones in
 heredem non competere. 5. *Sic nec filius feudo privari potest, si pater se loma'm*
commisit, nec tamen ei à domino feudum ademptum est. 6. Sed heredibus ejus-
 modi actiones competunt, exceptâ injuriarum actione. 7. Si tamen pœ-
 nales actiones ab ipsis principalibus personis fuerint cõtestatæ (*id est lio de-*
super contestata) & heredibus dantur & contra heredes. 8. *Hæc de discrimi-*
ne actionum. Comparatæ a. sunt exceptiones defendentorum eorum gra-
 tia, eum quibus agitur. Sæpe enim accidit, ut licet ipsa persecutio justa sit,
 tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur. 9. *An exceptiones sint ju-*
ris naturalis vel civilis? 10. *Et consequenter, an per statutum auferri possint?* 11.
An actionis verbo contineatur exceptio? 12. Appellantur a. quædam exceptio-
 nes perpetuæ & Peremptoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ. 13. Perpetuæ
 exceptiones sunt, quæ semper agentibus obstant. 14. Temporales, quæ
 ad tempus nocent. 15. Exceptiones peremptoriæ, in initio litis omissæ,
 postea nihilominus obponi possunt. 16. Eæ tamen post sententiã ob-
 poni non possunt. 17. *Dilatoriæ exceptiones ante litis contestationem opponen-*
tur, aut procurator punietur. 18. *An exceptio metus parenti vel patrono possit obponi?*
 19. *Inter exceptiones dilatorias refertur exceptio suspecti iudicis* 20. *Qua occasione*
queritur, an possit jure civili quilibet iudex recusari, etiam ordinarius? 21. Excep-
 tiones quæ reo competunt, etiam fidejussoribus conceduntur plerunq;
 22. Sane quædam exceptiones non solent fidejussoribus accommodari,
 ut si debitor bonis suis cõfesserit, defenditur per exceptionem 23. *Sunt &*
exceptiones procuratoriæ, quæ contra procuratores opponuntur. 24. Militi-
 bus n. nec pro patre vel uxore, nequidem ex sacro rescripto procuratorio
 nomine experiri conceditur: Suis verò negocijs superesse sine offensa mi-
 litaris disciplinæ possunt. 25. Infamis potest esse procurator 26. *Non ta-*
men in summis dicasterijs principis, vel Cameralis. 27. Interdum evenit, ut ex-
 ceptio, quæ prima facie iusta videtur, tamen iniquè noceat. *Quo casu re-*
publicæ proponuntur 28. Et sic porro proponi possunt duplicæ, triplicæ, qua-
 druplicæ, etiam quintuplicæ &c. 29. *Hodie ante litis contestationem ultra du-*
plicas non licet progredi. 30. *Sed anne ita in exceptione fori;*

CAP. XXIII. DE INTERDICTIS, POENA TEME-
 RE litigantium, & officio iudicis,

D

1. Erant

1. Erant interdicta, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tunc maximè fiebat, cum de possessione aut quasi contendebatur. 2. Summa divisio interdictorū est, quæ aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. 3. Prohibitoria sunt, ut si in sacro loco prohibeatur ædificari. 4. Restitutoria, quibus restitui aliquid iubet. 5. Exhibitoria, ut si parenti exhiberi iubet liberos, quos in potestate habet. 6. Et obtinuit omnia illa interdicta appellari, quia inter duos dicuntur. 7. Sequens divisio interdictorum hæc est, quod quædam adipiscendæ possessionis causâ comparata sint, quædam retinendæ, quædam recuperandæ. 8. *Interdictum adipiscendæ possessionis suo heredi quòq; datur.* 9. *An reus satisfacere teneatur in interdicto uti possideris, quòd in futurum actorem non turbabit?* 10. Tertia divisio interdictorum est, quod aut simplicia sunt, aut duplicia. 11. Simplicia, veluti in quibus alter actor, alter reus est. 12. Duplicia sunt, veluti uti possideris, & utrubi: quorum illud ad res immobiles, hoc ad mobiles refertur. 13. Coercendorum temerè litigantium causâ introductum est iuramentum calumniæ: Et quidem generale hodie sufficit, quo iuratur initio litis, nihil in toto negotio calumniæ causâ facturum iri. Et sic semel tantum præstatur. 14. *Iuramentum calumniæ credulitas est, non veritatis.* 15. Utraque pars litigantium de calumniâ iurare cogitur. 16. *Aliàs etiam de calumniâ iurari solet, si quis alteri desert iusiurandum.* 17. II. Præterea improbus litigator & damnū & impensas litis inferre & refundere adversario suo cogatur. 18. *Talis etiam habetur is, qui contumax est, qui semper in expensas condemnatur in illo puncto & causâ in quo quavè contumax est.* 19. III. Ex quibus etiam iudiciis damnati ignominiosi fiunt. 20. *Processus à citatione incipi debet, & non ab executione.* 21. Parentes quoque sine veniâ, à Prætorè impetratâ, in ius vocari non possunt. 22. Et si quis aliter vocaverit, in eum pœnam quinquaginta solidorum constituit. 23. *An dominus feudi à vasallo in ius vocari possit sine veniâ.* 24. *An discipulus præceptorem sine veniâ in ius vocare possit?* 25. In primis illud debet observare iudex, ne aliter iudicet, quàm legibus, aut constitutionibus aut moribus proditum est. 26. *An a. iudex debeat iudicare contra conscientiam pro actis & probata, an verò contra acta pro conscientia?* 27. *Iudex ordinarius iure civili recusari non potest, licet diversum sit in delegato.* 28. *In ferendâ sententiâ, si bonæ fidei possessor fuerit, non habetur ratio nequæ consumptorum nequæ perceptorum.* 29. *Sed an hoc intelligendum tam de naturalibus quàm industrialibus?* 30. *Quod istis iudiciis alicui ad iudicatum est, id statim eius sit, cui ad iudicatum est: Et competis victori acti rei iudicata.*

CAP. XXIV. DE PUBLICIS JUDICIIS.

1. Publica iudicia dicta sunt, quòd cuius ex populo exebutio eorum plerunq; datur. 2. Publicorum iudiciorum quaedam capitalia sunt, quaedam non capitalia. 3. Capitalia dicimus, quæ ultimo supplicio afficiunt, vel aquæ & ignis interdictione, vel deportatione. 4. Cætera si quam inferunt infamiam cum damno pecuniario, publica quidem sunt, sed non capitalia. 5. An exilium perpetuum sit referendum inter iudicia capitalia? 6. An suffigatio? 7. An membrorum mutilatio? 8. Publica iudicia sunt lex Julia maiestatis, si qui contra Imperatorem vel Rempubl. aliquid moliantur. 9. Crimen L. Maiestatis committitur etiam contra Reges. 10. Sed an committatur contra eos, qui superiorem recognoscunt? 11. Et sic, an contra Civitates imperiales? 12. An contra Cardinales? 13. An contra Electorem Imperij? 14. Imò an contra ipsum Papam? 15. An ob crimen L. Maiestatis ipso jure committantur & confiscentur bona rei? Vel (ut aliàs proponi solet quaestio) an sententia condemnatoria requiratur in crimine L. Maiest. vel declaratoria? 16. Item Lex Julia de adulteriis Gladio punit adulteros. 17. Adulterium in nuptiam solum committitur? 18. An de jure Civili maritus committat adulterium in virginem? Et an in sponsam alterius. 19. An adulterium de jure antiquo civili etiam capitale fuerit? 20. Item L. Cornelia de sicariis gladio punit homicidas. Sed homicidium, prout plerumq; alia delicta, hodie dijudicari & puniri solent secundum constitutionem Carolinam. 21. Aliàs sicarii appellantur à sica, quod ferreum cultrum significat. Eaden lege & venefici ad pœnam gladij damnantur. 22. Anne ille, qui poculo amatorio quampiam interfecit, pœna L. Corneliae subjacet? Ratio dubitandi esset, quòd tantum adsit animus occidendi, quantum votum in aeternum vivendi. 23. Ex L. Pompeia de parricidis etiam conscii criminis puniri solent, licet extranei sint. Pœna aliàs est, quòd reus insutus culeo, cum cane & gallo gallinaceo, & vipera & simia in vicinum mare proiiciatur. 24. An parricidium committatur, si quis superintendem interfecerit, tanquam patrem spiritualem? 25. An si susceptorem? 26. An si convasallum? 27. An socium omnium bonorum. 28. Alioqui parricidium extendit se in linea collateralis que in tertium gradum, in linea recta in infinitum: Et omnes, qui sibi invicem sunt parentum liberorumq; loco. 29. Item L. Cornelia de falsis capite punit falsarios, ut si Notarius falsum testamentum fecerit. 30. Lex Julia peculatus eos punit, qui publicam, pecuniam vel rem sacram vel religiosam furati fuerint. Consule, de jure & consuetudine hodiernâ, de hisce delictis constitutionem Carolinam.

F I N I S.

D 2

DISPLI.

DISPUTATIO

De

DE ACQUISITIONE
FEUDI, SEU DE INVESTITURA
& successione &c.

Quam

SORTE MITTI DESIGNATAM,
V. dielectionum Feudalium Ex
TEMPORE conscripti,

Et

Affistente

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DN.
M. SIGISMUNDO EVENIO, RECTO-
re & Præceptore meo colendo,

In illustri Patriâ Schola

PRO VIRILI ET INGENIO MEO TENUI,
defendere tentabo.

Heinrich Christoph Schlichtegrull,

TERENTIUS in Heautontimorumenno.

*Quid cum illis agas, qui neq; jus, neq; bonum aut equum sciunt?
Melius, pejus, profit obfit, nihil vident nisi quod lubet.*

Idem in Adelphis.

*Homine imperito nihil quicquam injustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.*

ΣΥΝΘΕΣΙΣ

DISPUTATIO
DE ACQUISITIONE FEUDI,
Continuatio.

Hactenus de personis & re ipsa acquisita egimus; Ut de acquisitione jam ipsa pauca in medium proferamus, restat.

T H E S I S. I.

Modus autem acquirendi triplex est, investitura præscriptio & sententia, iudicis, quibus generaliter potest addi successio. De singulis igitur secundum ordinem vid. bimus.

II. Est autem investitura traditio possessionis coram paribus facta; vel proprie dicitur possessio, lib. 2. f. tit. 2.

III. Abusivo a. modo dicitur investitura, quando hasta vel aliud corporeum quodlibet porrigitur à Domino feudi, ad signum investiturae, d. lib. 2. f. tit. 2.

IV. Dicitur investitura à verbo investiri; quod vocabulum desumptum est à modo illo, quando virgines in cœnobijs investuntur.

V. Et fit illa investitura aut de veteri aut de novo beneficio; Quando de veteri fit, etiam à minore potest fieri, lib. 2. f. tit. 3.

VI. Novi verò investitura feudi non ab alio rectè fit, nisi ab eo, qui legitime bonorum suorum liberam administrationem habet dict. lib. 2. f. tit. 3.

VII. Facta igitur investitura, quando vassallus acquisivit utile dominium, cogitur aliquid, secundum aliquos, pro investitura prestare, quod vocatur LAUDEM IUM.

VIII. Iam verò queritur, an etiam servus investiri possit? Resp. si ignorantia prætendatur, h. e. si liber putetur, & ita pro libero investiretur, contractus ille non valeret, dict. tit. 3. lib. 2. f.

IX. Similiter si fœmina induens vestimenta viri, investiretur pro masculino, domino resciscente, contractus non valeret.

X. Fœminam tamen novi feudi investituram facere posse, pleriq; consentiunt, d. tit. 3. lib. 2. f.

XI. An veid alius pro Domino vel vassallo facere vel suscipere possit, queritur? Resp. nihil interesse putamus: Potest enim hoc negotium & per procuratorem ab utraque parte expediri. d. tit. 3.

XII. Quod si quis aliena rei sciens investituram accipit, (nisi pacto speciali sibi prospexerit) de evictione agere non potest: Ignorans verò recte aget, ut aliud ejusdem bonitatis seu quantitatis feudum præstet Dominus, lib. 2. f. tit. XIII.

XIII. Satis jam de investitura pro angustia temporis; sequitur secundus modus acquirendi, qui est PRÆSCRIPTIO XXX. annorum.

XIV. Ea autem probatur ex tit. 26. lib. 2. F. Si quis per triginta annos, rem aliquam, ut feudum, possederit, & servitium domino exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest.

XV. In hac igitur præscriptione tria erunt observanda, vel potius requisita, I. bona fides, ut miles non sciat hanc rem esse illius domini, ignoret sc. esse alienam.

XVI. II. Ut illam rem tanquam feudum possederit, & utilitates inde perciperit. III. Ut Domino servitia militaria, vel unum exhibuerit.

XVII. Sequitur nunc tertius modus feudum acquirendi, qui est sententia iudicis, quando scilicet propter quandam controversiam inter seniores & fidelem ortam, iudex illius litis adjudicat vasallo feudum, ut ita ipse acquirat.

XVIII. Restat nunc ut de ultimo modo acquirendi pauca quadam proferamus, quæ dicitur SUCCESSIONE; & illa generaliter tantum ad hos modos refertur.

XIX. Regulariter verò vasallus acquirit feudum I. pro se suisque descendētib. Igitur non pro ascendētib. Pater propterea non succedit, si filius acquisiverit feudum.

XX. II. Pro masculis. Igitur non pro fœminis. Et hoc probatur ex lib. 1. tit. 1. F. his verbis: Hoc notandum est, quod licet filia, ut masculi, patribus succedant, legibus tamen à successione feudi removentur, similiter & earum filij: nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat.

XXI. Quin etiam si quis eo tenore feudum acceperit, ut ejus descendentes masculi & fœmina illud habere possint, relicto masculo, ulterius fœmina non admittuntur, lib. 1. F. tit. 6:

XXII. Quid si autem vasallus testamentum erigeret, ut, si non adsint masculi, succedant fœmina? Resp. Nulla ordinatio defuncti in feudo manet vel valet lib. 1. F. tit. 8.

XXIII. Filia igitur non succedit in feudo masculino, nisi investitura fuerit facta in patre, ut filij & filia succedant in feudum; Tunc enim succedit filia filiis non extantibus, dict. tit. 8.

XXIV. Et non patet locus fœmina in feudi successione, donec masculus superest, cum eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus, libri 2. F. tit. 16.

XXV. III. Pro secularibus. Ideo si vasallus haberet filium, & ille fieret clericus vel ecclesiastica persona, patre mortuo ille non succedit.

XXVI. Si duo fratres simul investiti fuerint de beneficio novo, & non de paterno, & alter moreretur sine descendētib. masculis, quaritur, utrum ad dominum revolvatur portio fratris, vel an frater in eam succedat? Resp. per pactum frater succedit. Vid. tit. 14. lib. 1. F.

XXVII.

XXVII. Si verò femina habens beneficium moreretur, quaritur utrum maritus succedat? Resp. non succedit, nisi specialiter sit investitus. tit. 15. lib. 1. F.

XXVIII. IV. Pro nobilibus. igitur non pro ignobilibus. Item in feudo adoptivò filij non succedunt.

XXIX. Adoptivus filius in feudum non succedit, dicit textus tit. 26. lib. 2. F. Nec legitimat, vel naturales ex concubina. Ita enim habetur dict. tit. 26. Naturales filij, licet post à fiant legitimi, nec soli nec cum alijs admittuntur.

XXX. Sed hinc legitimati intelliguntur ij, qui per rescripta principum fiant legitimi: Aliàs legitimati per subsequens matrimonium de jure Canonico per omnia comparantur legitimè natis: Et sic etiam in feudis succedunt.

CONCLUSIO.

Hinc subsistam stridenti calamo. Sufficiunt enim hac, pro temporis angustia & tenuitate meâ, de acquisitione dicta.

Heinrich Christoph Schlichtegrull
scripsit S. die lectionum feudalium.

FINIS.





Num 322^d




ULB Halle
002 805 09X 3


A standard 1D barcode is located on the library label, positioned below the identification number.

fb

1017








B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



unglaublicher Maniera, me-
is gratia htenzugeseker.

BURGENSIS
NGI IC,

IONES JU-
VILIS,

nauditâ celeritate
antehâc absolutæ,
um capita distributæ,

hò jus INSTITUTIO-
um, vivâ voce, per III. vel IV.
tu doceri & absolvi
it.

hlichtegrullij J. U. D.
m. & Scabinatus H. F. Dispu-
e studiorum scripta, &c



-Caroli Unckelij Libra-
cofurtensis.

DC. XXVIII.

